

ventus debeant officia infirmariae et vestiarii committere et personas quibus huiusmodi officia commiserint ipse praepositus in censibus redditibus fructibus et proveniuntibus ad eadem officia pertinentibus nullatenus debeat impedire nec se de ipsis intrmittere seu ipsos quomodolibet sibi usurpare; et quod dictus dominus praepositus de cetero stubam balnealem ad infirmariam pertinentem nulli conferre seu porrigere debeat sine expresso consensu sui conventus, quodque balneator qui nunc dictam stubam detinet si conventui non placuerit eandem stubam vendere debeat alteri personae prout ipsi conventui videbitur expedire; et quod dictus dominus praepositus solvere debeat quandocumque habere poterit a praebendis aut a noviciis recipiendis XXX<sup>a</sup>I sexag. grossorum, in qua seu quibus dicto conventui est et fuit diutius obligatus. Quam quidem amicabilem concordiam in omnibus suis articulis et punctis approbamus ratificamus et confirmamus, volentes et praecipientes in virtute sanctae obedientiae eandem concordiam per dictos praepositum et conventum inviolabiliter observari. In quorum omnium testimonium hanc nostram patentem litteram scribi fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Datum et actum in Merseburg anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.LVIII<sup>o</sup>. feria tertia proxima post diem divisionis apostolorum beatorum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem wohlerhaltenen Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 114. 1358. 14. Sept.

*Probst Nicolaus und der Convent bezeugen, dass sie mit Hinblick auf die herrschende Pestseuche und um den Zorn Gottes zu besänftigen zu feierlicher Abhaltung einer Marienmesse an jedem Sonnabend für ewige Zeiten sich verpflichtet haben.*

Nos Nicolaus dei gratia praepositus, Nicolaus prior totusque conventus canonicorum regularium sancti Thomae in Lypzk notum esse volumus praesentium tenorem inspecturis. Quia deus non est placabilis super nequitia populi nisi peccatores fuerint poenitentia ducti, nos igitur propter peccata nostra in magna miseria pro nunc et pestilentia constituti ad mitigandam iram dei astringimus nos voto speciali ex consensu unanimi, ipsi beatae Mariae virgini singulis sabbatis perpetue summam missam de beata Maria virgine cum omnibus horis canonicis sollempniter celebrari, exclusis apostolicis festis et quatuor temporibus anni vel aliis quae variari non possunt, in honorem eiusdem virginis gloriosae, ut deus propitiatus avertat iram suam a nobis et a miseria nunc regnante. Pro quo voto specialiter gavisus dominus Jacobus noster coneanonicus ad habendam memoriam sui et fratrum suorum et omnium propinquorum tam in vita quam in morte pro confirmatione et certa roboratione dicti voti suis sumptibus et propinquorum tegmen dormitorii nostri de novo redintegavit. In cuius voti testimonium sigilla nostra praesentibus sunt appensa anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.LVIII. in die exaltationis sanctae crucis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Convents und des Probsts an Pergamentstreifen.

Vogel Leipz. Annales S. 45.